DE

ADIECTIVIS PLAUTINIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JULIUS GIMM

ISENACENSIS

ACAD. LUGDUNAT. BIBL.

ALTKIRCH

TYPIS E. MASSONII

MDCCCLXXXXII.

Strassburg.

Von der Facultät genehmigt am 19. December 1885.

DE

ADIECTIVIS PLAUTINIS

Absens, praesens, invitus, lubens.

Absente, praesente, invito, lubente ablativos absolutos ubi coniungit Plautus cum pronominibus, pronomen ponit ante ablativum absolutum. Ac plerumque quidem pronomen proximum tenet locum ante **absente, praesente, invito, lubente**. Exempla sunt haec:

Am f. XVI *quae* **me absente** *corpus uolgauit suom*
Au 98 *Profecto in aedis meas* **me absente** *neminem*
Au 428 **Me absente,**
Ci I 1. 109 *Si* **me absente** *Alcesimarchus ueniet,*
E 62 *Videor uidere conmeruisse hic* **me absente** *in te aliquid mali.*
Mn 492 *Fecisti funus* **med absente** *prandio?*
Mi 866 *Si diuidetur,* **me absente** *accipito tamen.*
Mo 1016 *Quid autem? Quod* **me apsente** *hic tecum filius*
S 525 *Nam ita* **me absente** *familiarem rem uxor curauit meam:*
Ti 167 **Me apsente** *atque insciente, inconsultu meo,*
Tu 383 *Quid tu hic* **me absente** *noui negoti gesseris.* [1])
As 583 *Quod* **se[se] absente** *mihi fidem habere noluisset.*
B 483 **Me praesente**
Mo 1164 *Immo* **me praesente** *amato, bibito, facito quod lubet;*
Cu 434 *Quod* **te praesente** *isti egi teque interprete,*

Raro pronomen personale uno pluribusve vocabulis interpositis ab **absente** vel **praesente** divellitur:

Am 811 *Quia pudicitiae huius uitium* **me hinc absentest** *additum.* [2])

quem versum Bombe l. l. p. 32 s. ita mutavit:

Quia pudicitiae huius uitium hic med absentest additum.

Am 826. 827 *Amphitruo alius,* **te qui absente** *hic munus fungatur tuom.*

ubi verba sic transposuit Bombe l. l. p. 33:

Amphitruo alius, qui te absente hic munus fungatur tuom.

---

[1]) Verborum ordo restitutus est a Lambino et Bombio «De ablativi absoluti apud antiquissimos Romanorum scriptores usu (ed. Gryphisw. a. 1877) pag. 32 sub finem.

[2]) cf. E. 62 Mo. 1016 Tu 383 Am 826, 827.

Am 749 *Hanc roga.* **Me quidem** [1]) **praesente** *numquam factumst*
Cu 712 **Me ipso praesente** *et Lycone tarpezita.*
Cu 714 **Me ipso praesente** *et Lycone factumst.*
Po 368 **Mene** *ego illaec patiar* **praesente** *dici?*

quem versum sic dedit Bombe l. l. p. 34:

Men praesente ego illaec patiar dici?

Regulae de pronominum **absente** et **praesente** collocatione supra constitutae ac tanta exemplorum copia confirmatae tres solum repugnant versus:

Mn 628 *Sic datur. properato* **apsente me** *comesse prandium:*
Mo 1139 *Fateor potauisse, amicam liberasse* **apsente te,**
S 538 *Prius quam abis,* **praesente te et hoc** *apologum agere unum uolo.*

Hic versus Goetzii coniectura *praesente te et hoc* reiecta ad legem conformatam ita redigi potest, ut scribamus:

Prius quam abis, huic te praesente apologum agere unum uolo.

Praeterea haec exempla afferre liceat:

Mi 1006 *Tum haec celocula* **illa absente** *subigit me ut amem.*
S 131 *Aut nunc non aequomst abduci, pater,* **illisce absentibus.**
Mo 564 *Jam* **illo praesente** *adibit.*
Mo 1121 **illo praesente** *mecum agito,*
B 301 *Auferimus aurum omne* [2]) *illim* **illis praesentibus**
B 263 **Eo praesente** *homini extemplo ostendit symbolum,*
B 335 *Sed* **qui praesente** *id aurum Theotimo datumst?*
Cu 711 *Quid? negas? Nego hercle uero.* **quo praesente?** *quo in loco?*

(pro **quo praesente** comparato versu B 335 ponendum videtur **qui praesente**; *quo* inde ortum esse existimo, quod proxime sequitur *quo*).

Contra pronominis **hic** ablativus post **praesente** collocatus est:

As 647 *Vin faciam ut te Philaenium* **praesente hoc** *amplexetur?*
Cs 423 *Nam* **praesente hoc** *plura uerba fieri non desidero.*

Absente et *praesente* in prisco sermone Latino praepositionum naturam ac vim habuisse ita, ut velut *absente* vel *praesente nobis* dicere liceret pro *absentibus* vel *praesentibus nobis* exemplis probavit Bombe l. l. pag. 40 ss. Notatu hoc quoque dignum est, quod neque *absentia* neque *praesentia* substantiva in Plauti fabulis inveniuntur.

Inuito:

Au 744 *Quid tibi ergo meam* **me inuito** *tactiost?*
Au 756 *Tun habeas* **me inuito** *meam?*

---

[1]) cf. Bombe l. l. pag. 31.
[2]) Transponendum esse: *Auferimus* **omne aurum** discimus ex his versibus:
B 306 *Nos apud Theotimum* **omne aurum** *deposiuimus,*
B 516 *Decretumst renumerare iam* **omne aurum** *patri.*
B 530 *Reddidei patri meo* **omne aurum.**
B 608 *Qui iratus renumerauit* **omne aurum** *patri*
B 622 *Qui patri reddidi* **omne aurum** *amens modo,*
B 684 *Male mi consuluisse: ob eam rem* **omne aurum** *iratus reddidi*

Au 757 *Haud* **te inuito** *postulo,*
Cp 739 *Quor ego* **te inuito** *me esse saluom postulem?*
R 783 *Meas quidem* **ted inuito** *et Venere et summo Joue*
R 796 *Equidem has* **te inuito** *iam ambas rapiam.*
E 585 *equidem* **hac inuita** *tam ero matris filia.*
Cs 315 **Vobis inuitis** *atque amborum ingratiis*
Am 663 *Ecastor* **med** *haud* **inuita** *se domum recipit suam.*

Ab hac pronominis collocandi norma novem exemplis comprobata unus abhorret versus:

R 712 *Meas mihi ancillas* **inuito me** *eripis. Tace aut cedo*

ubi nescio an scribendum sit:

Meas mihi ancillas inuito eripis. Tace aut cedo

collatis versibus:

Ti 617 *O ere Charmides, quom apsenti hic tua res distrahitur tibi,*
Cs prol. 63 *Sciens ei mater dat operam absenti tamen.*

Lubente:

Am 848 *Edepol* **me lubente** *facies.*
Tu 361 **me lubente** *facies.*
Cu 665 **me lubente** *feceris.*
Mn 272 **me lubente** *feceris.*

Ex his locis apparet corruptelam inesse in versu:

S 474 **Lubente me** *hercle facies. Idem ego istuc scio.*

Consentiunt Palatini cum Ambrosiano — omissis minutiis — in hac vitiosa scriptura: *Lubente hercle me facies.* Transposuit *me hercle* Camerarius. Pro *hercle* potius *pol* substituendum esse pluribus docuit O. Seyffert Stud. Plaut. pag. 5. Itaque Kellerhoffium[1]) secutus scribo:

S 474 *Pol me lubente facies. Idem ego istuc scio.*

Acceptus.

Tu 703 *Mea deamata dona acceptaque habita esse apud Phronesium.*

Sic Fr. Schœll secutus Muellerum Plaut. Prosod. pag. 13 et 453, ne quadrisyllabum fieret vocabulum *deamata.* At praestabat traditam scripturam retinere:

Mea dona deamata acceptaque habita esse apud Phronesium.

ne comprehensio verborum *deamata acceptaque* alio interiecto vocabulo dispesceretur; eodem sane modo inter se arte cohaerent *acceptus* et *gratus*:

Tu 617 *Quorum dona accepta et grata habeo:*
S 50 *Nam mihi pol grata acceptaque huiust benignitas:*

Atque eandem amborum adiectivorum consociationem Plauto reddidit praeeunte Camerario Bugge in Fleckeis. ann. t. CVII a. 1873 pag. 413:

Tu 583 *Grata acceptaque habeo ecastor.*

---

[1]) de collocatione verborum Plautina pag. 53.

Adfinis.

De adiectivo *adfinis* = an etwas beteiligt, semel a Plauto adiectivi potestate instructo

Ti 331 *Publicisne adfinis fuit an maritumis negotiis?*

quod Rassow falso recepit in substantivorum indicem, adeas et Brixium ad Ti 331 et P. Langenum Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus, Leipzig 1880. pag. 271 s.

Adsiduus.

Ci I 3, 36 s. *Reperire, quae sustulerit. ei rei nunc suam*
Operam usque adsiduo seruos dat, si possiet etc.

Verba *suam operam dat* a latinitate plane abhorrere summo iure iudicat Langen l. l. pag. 105 adn. Equidem pro *nunc suam* scribi velim *nunciam*, id quod sententiae aptissimum est. Pro *adsiduo* autem adverbio adiectivum *adsiduam* collato versu:

As 428 *Quia triduom hoc unum modo foro operam adsiduam dedo,*

ponere vetamur propterea quod adverbia *usque adsiduo* inter se coniungendi ratio prorsus consentit cum Plauti sermonis consuetudine. Huc quadrat:

Tu 421 *Postid ego tecum, mea uoluptas, usque ero Adsiduo.*

Adsiduus (adsidere) genuinam ac propriam vim habet:

Ti 202 *Quam urbani adsidui ciues quos scurras uocant,*

translatam ostendit potestatem:

As 428 *Quia triduom hoc unum modo foro operam adsiduam dedo.*

Aeger.

Tu 464 *Puerperio ego nunc me[d] esse aegram adsimulo.*

Rectissime formaverunt hunc versum Mueller Plaut. Pros. pag. 34. 250. 731 et Brix in Fleckeis. ann. t. XCI p. 64 ita:

Puerperio ego nunc me esse aegr[ot] am adsimulo.

Atque

Tu 500 *Tibi adest Stratophanes: nunc opust tibi aegram ut te adsimules. Tace.*

hunc in modum sanandus videtur:

Tibi adest Stratophanes: nunc tibi opust|te ut aegrotam adsimules. Tace.

collaqueatione post caesuram primariam admissa. Nam *aeger* adiectivum et vocabula inde derivata Plautus constanter usurpavit de animi, nusquam de corporis affectione, cf:

E 129 *Benine usque ualuisti?* **A morbo ualui, ab animo aeger** *fui* [1]).

Am 910 *Nam numquam quicquam meo* **animo** *fuit* **aegrius**

Adiectivo *aeger* opponitur substantivum *voluptas:*

Am 641 *Plus* **aegri** *ex hoc abitu uiri quam ex aduentu* **uoluptatis** *cepi.*

adverbio *aeger* adverbium *volup:*

Mi 747 *Si illis* **aegrest** *mihi quod* **uolup** *est,*

tum *aegritudo* et *voluptas* inter se opponuntur:

---

[1]) cf. Cu 169 *Male* **uales,** *ere, quod mihi* **aegrest.**

Mr 359 *Ubi uoluptatem aegritudo uincat,*
S 524 (523) ... *nimiast* **uoluptas,** *si diu afueris domo,*
Domum ubi redieris, sei tibi nulla **aegritudo** *animo obuiamst.*

Jam vero firmissimum huic quaestioni adminiculum paratur nominibus substantivis *aegritudo* et *aegrimonia*:

B 493 (492) *Viden ut aegre patitur esse gnatum corruptum tuom,*
Suom sodalem, ut ipsus sese cruciat aegritudine?
B 538 *Numquae aduenienti aegritudo obiectast? Atque acerruma.*
B 1110 *Numquidnam ad filium haec aegritudo adtinet?*
Cp 782 *Tanto mi aegritudo auctior est in* **animo.**
Cu 224 *Atque istam exturbes ex* **animo** *aegritudinem.*
Ci I 1, 61 *Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab aegritudine.*
Mr 19 *Cura aegritudo*
Mr 140 *At edepol tu calidam picem bibito: aegritudo abscesserit.*
Mr 359 *Ubi uoluptatem aegritudo uincat, quid ibi inest amœni?*
Mr 870 *Cura, miseria, aegritudo, lacrumae, lamentatio.*
Mo 810 *caue tu id illi obiectes nunc in aegritudine,*
Te hasce emisse. non tu uides hunc uoltu ut tristi sit senex?
S 215 *Prae maerore adeo miser atque aegritudine*
Consenui:
S 524 *sei tibi nulla aegritudo* **animo** *obuiamst.*
S 526 (525) *Nam ita me absente familiarem rem uxor curauit meam:*
Omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinum.
Ti 316 *Ni tibi aegritudinem, pater, parerem, parsi sedulo:*
Ti 1091 *Adimit animam mi aegritudo.*
Mn prol. 35 *Animum despondit: eaque is aegritudine*
Paucis diebus post Tarenti emortuost:
Po prol. 69 *Conicitur ipse in morbum ex aegritudine,*

aegrimonia in Plauti fabulis bis exstat:

R 1190 (1189) *Quid meliust quam ut hinc intro abeam et me suspendam clanculum,*
Saltem tantisper dum abscedat haec a me aegrimonia?
S 406 *Olim quos abiens adfeci aegrimonia,*
Eos nunc laetantis faciam ego aduentu meo.

Denique ad vim potestatemque vocabuli *aeger* illustrandam maxime idonei sunt loci haud ita pauci, quibus legitur adverbium *aegre:*

animo aegre est:
Cs 179 *Sed quid est quod tuo nunc* **animo** *aegrest?*
Mr 369 *Nescio quid meo* **animost** *aegre,*
aegre pati:
As 832 *ne aegre patiar,*
B 464 *Sultus es qui illi male aegre patere dici qui facit.*
B 492 *Viden ut aegre patitur esse gnatum corruptum tuom,*
Mr 251 *Ego enim lugere atque abductam illam aegre pati.*

Po 1071 *Quo me priuatum esse aegre patior mortuo.*
S 344 *Jandudum ego istunc aegre patior dicere iniuste mihi.*
aegre ferre:
Cp 146 *Alienus quom eius incommodum tam aegre feras,*
Po 1067 *An mortui sunt? Factum: quod ego aegre tuli:*
aegre habere:
B 1103 (1102) *si alibi*
Plus perdiderim, minus aegre habeam minusque id mihi damno ducam.
aegre est:
Cp 129 *Aegrest mi hunc facere quaestum carcerarium*
Cp 701 *Sed hoc mihi aegrest me huic dedisse operam malam,*
Cu 169 *Male uales, ere, quod mihi aegrest.*
B 1114 *Quid tibi ex filio nam, opsecro, aegrest?*
Cs 180 *Nam quod tibist aegre,*
Idem mihist diuidiae.
Cs 421 *quamquam hoc tibi aegrest, tamen fac accures.*
Mn 626 *Dic, mea uxor, quid tibi aegrest?*
Ti 1086 *Credidi aegre tibi id, ubi audisses, fore.*
Mi 747 *Si illis aegrest mihi quod uolup est,*
Cs 429 *Atque id non tam aegrest iam, uicisse uilicum,*
Ti 260 *Amor amari dat satis quod aegrest:*
Cs 176 *Domi et foris aegre quod siet*
Cs 607 *Quin — aliquid aegre facere. Quin faciam lubens.*

Tanto ex numero locorum, quibus et *aeger* adiectivum et vocabula inde derivata ad unum omnia ubique de animi, nusquam de corporis affectione usurpantur, apparet abiciendam esse Schoellii coniecturam in versu:

Tu 526 *Tollere: ita dolet itaque aegrest dorso neque etiam queo*
Pedibus mea sponte ambulare.

Neque enim de animi, sed de corporis agitur dolore, quem in simulato puerperio perpetitur Phronesium meretrix. Probabilius O. Seyffert Stud. Plaut. pag. 30 coniecit:

nequeo caput
Tollere: ita dolet itaque aegre moueo neque etiam queo
Pedibus mea sponte ambulare.

aegre idem significare atque adverbium *vix* facile colliges his ex versibus:

As 582 *Nimis aegre risu me continui,*
B 691 *Atque aegre inpetraui.*
Cp 461 *Miser homost, qui ipsus sibi quod edit quaerit et id aegre inuenit.*
Cp 462 *Sed illest miserior, qui et aegre quaerit et nihil inuenit.*
Mi 205 *quod agat, aegre suppetit.*
Mi 639 *Nam nisi qui ipse amauit, aegre amantis ingenium inspicit.*
Po 236 *Vix aegreque amatorculos inuenimus.*
Cp 912b *Vbi uoltum aegre intuebar, exporgebat labia lambitum* (a Schœllio sic suppletum).

Ex eis, quae supra statuimus, cernitur mendum latere in vocabulo *aegrius*

As 119 (118) *Non esse seruos peior hoc quisquam potest*
Nec magis uorsutus nec quo ab caueas aegrius.

Quod mendum facile sic tollitur, ut una litterula *e* deleta et littera *g* in *c* mutata scribamus *acrius*. Fulcitur haec coniectura versibus:

Am 1113 *Metuens pueris, mihi formidans, tantoque angues acrius*
Persequi.

S 180 *Propterea, credo, nunc adessurio acrius.*

Ti 169 *Adesuriuit et inhiauit acrius.*

quorum versuum clausula occupatur adverbio *acrius* item ut in illo, de quo agitur versu.

Aequus.

B 14 *Videas mercedis quid tibist aequom dari,*

B 1165 *Neque te tuost aequom esse iratum: si amant, sapienter faciunt (tuo equum est* F).

Po 1254 *Eas deis est aequom gratias nos agere sempiternas,*

R 715 *Neu te in carcerem conpingi est aequom aetatemque ibi*[*tuam*]

Am prol. 29 *Mirari non est aequom sibi si praetimet.*

In his versibus collocatio voculae *est* Plauti sermonis consuetudini repugnat. Ingenti enim exemplorum copia confirmatur **aequomst** collocatio: Am 851. 921. 1004 As 82. 176. 186. 354. 836. 932 (*aequomst mores* Pylades et Fleckeisen, *aequom mores est* libri). Au 122. 129. 306. 500 B 398. 524. 618. 924 Cp 259. 868 Cs 896. 1015 Ci I 5, 115. IV 2, 95 E 586 Mn 659 Mr 454. 1026 Mi 286 *aequom*[*st*] 1070 *aequom*[*st*] Pe 647 Po 141. 466. 490 (*aequomst* A, Guiet; *est aequom,* si a parvulis scripturae discrepantiis recesseris, libri praeter A contra metrum). 800. 1081 Ps 269. 444. 455 R 312. 960 S 4 (*aequomst* A, inversum verborum ordinem exhibent ceteri libri) 6. 40. 44. 99. 131. 494 Ti 451. 830. 924. 1154 Tu 416 Am prol. 23 Cs prol. 8 R prol. 47.

Atque etiam ubi cum *aequom* adiectivo consociantur alia verbi *esse* tempora, eandem Plautus secutus est collocandi legem:

aequom sit B 1022

aequom siet E 257 Mr 898 Mi 515 (cf. appar. crit.) semper in clausula versuum.

aequom erat Au 424 (*erat aequom* Reiz et *aequom*[*me*]*erat* Seyffert)

aequom esse [Am 172] B 1083

aequom foret B 488

aequom fuit B 1017 Cp 995 E 382 Mr 81 Mi 725. 730 Ti 175 constanter in versuum clausula.

Vt **aequom fuerat,** *filio* Cu 638. Nec tamen ideo improbaverim eam, quam Bothe proposuit, emendationem versus:

Mr 972 *Nam te istac aetate haud aequom filio fuerat tuo,* ubi verborum ordinem *aequom fuerat filio tuo* in codicibus falso traditum esse docet clausula vocabulis cretico et iambico effecta.

Liberior est collocatio voculae *est* cum comparativo *aequius* consociatae:

aequius est:

B 1159 *Pol tibi multo aequius est coxendicem.*

Cs 265 *Illum mi aequiust quam me illi quae uolo concedere.*

S 97 *Quem aequiust potiorem habere quam te?*
S 290 *Sed tandem opinor aequiust eram mihi esse supplicem*
est aequius:
Mn 1010 *me perirest aequius.*
Mr 549 *Nam hanc se bene habere aetatem nimiost aequius.*
R 322 *Eum quidem ad carnuficemst aequius quam ad Venerem conmeare.*
aequius erat:
R 269 *Ergo aequius uos erat*
fuerat aequius:
Ti 119 *Ei rei operam dare te fuerat aliquanto aequius,*
Ti 1040 *Vbi malos mores adfigi nimio fuerat aequius.*
At **aequissumumst:**
R 1029 *hoc optumum atque aequissumumst.*
R 1246 *Semper cauere hoc sapientis aequissumumst,*

Pro *aequomst* Plautus interdum dicit: *par est:*
Pe 834 *Et me haud par est* (scil. *hunc ludificare).*
R 675 *Par [nos] est moriri (nos* a Schoellio substitutum est).
B 1109 *Pol mihi par idemst quod tibi.*
Cp 147 *Quid me patrem par facerest*
Po 1396 *Quid mihi par facere sit, ego mequom consulam.*

Pro *aequius est* dicit Plautus *magis par est:*
Am 990 *Quam ob rem mihi magis par est uia decedere et concedere.*
Po 522 *Liberos homines per urbem modico magis par est gradu*
Jre:
Pe 800 *Posterius istaec te magis par agerest.*
B 619 *Malos quam bonos par magis me iuvare. (magist* Ritschl)
Cu 110 *Canem esse hanc quidem magis par fuit:*
S 512 *Et magis par fuerat me uobis dare cenam aduenientibus,*
Ti 230 *Amorin me an rei opsequi potius par sit:*

Pro *aequissumumst* semel *est par maxume:*
Am 832 *Junonem, quam me uereri et metuerest par maxume,*

Aequom uidetur. Aequom censeo.

In hac verborum comprehensione usurpanda Plautus statuit sibi eam legem peculiarem, ut ordinem vocabulorum constanti ratione teneret omissa ubique voce *esse*. Addere hic liceat locos quotquot sunt omnes:

R 1230 **Aequom uidetur** *tibi, ut ego alienum quod est*
Meum esse dicam?
Ti 552 (551) *contra istoc detrudi maleficos*
Aequom uidetur,
Ti 587 (586) *Nullo modo*
Aequom uidetur *quin,*
Mi 517 *Me expurigare tibi* **uidetur aequius:**

As 229 *Mane, mane, audi: dic, quid me* **aequom censes** *pro illa tibi dare,*
E 552 *Tuae memoriae interpretari me* **aequom censes.**
S 113 *Volo scire ergo, ut* **aequom censes.**
Ti 306 *ut eum animus* **aequom censeat,**
Po 795 (794) *Nunc ibo, amicos consulam, quo me modo*
Suspendere **aequom censeant** *potissumum.*
Ti 304 *Meum animum tibi seruitutem seruire* **aequom censui.**
Au 597 *Eodem modo seruom ratem esse amanti ero* **aequom censeo.**
Cp 301 *Non ego istunc me potius quam te metuere* **aequom censeo.**
Mr 569 *Prius etiamst, quod te facere ego* **aequom censeo.**
S 112 *Scio ut oportet esse: si sint ita ut ego* **aequom censeo.**
S 293 *Ad me adiri et supplicari mi egomet* **aequom censeo.**
(*aequom censeo* A recte, *censeo aequom* Palatini perperam)
Ti 392 *Non optuma haec sunt, neque ut ego* **aequom censeo:**
Ti 713 *Si mihi tua soror, ut ego* **aequom censeo,** *ita nuptum datur*

His exemplis collatis suspicio subnascitur antiquam corruptelam latere in septenario trochaico S 548 in Palatinis sic tradito:

Nunc mihi reddi ego aequom esse abs te, quicum cubitem, censeo.

cum praesertim in codice A desint verba *abs te.* Sic versum refingam:

Nunc mihi reddi abs te, quicum cubitem, ego aequom censeo.

Pro *aequom uidetur* ter obviam fit apud Plautum *par uidetur:*

Am 494 *Non par uidetur*
Am 959 *Atque ita seruom par uidetur frugi sese instituere:*
B 139 *Non par uidetur neque sit consentaneum,*

Pro *aequom censeo* legimus

Am prol. 61 *non par arbitror.*

Aerumnosus

a Plauto de hominibus tantum usurpatur:

E 559 *aerumnosam et miseriarum conpotem*
Mulierem retines.
R 257 (256) *Hunc quisquis est deus ueneror ut nos ex hac aerumna eximat*
Aut miseras inopes aerumnosas ut aliquo auxilio adiuuet.
B 5 *Vlixem audiui fuisse aerumnosissumum,*

Aeternus (=aeviternus)

germanice est fürs Leben = per omnem vitam.

Cp 780 *Speroque me ob hunc nuntium aeternum adepturum cibum.*
Cp 897 *Aeternum tibi dapinabo uictum, si uera autumas.*
Mo 195 *Quae illum tibi aeternum putes fore amicum et beneuolentem.*

Alienus

saepe casus genetivi *alius* vocis munere fungitur et germanice est zu einer andern Familie, nicht zum Hauſe gehörig. Inter se opponuntur *alienus* et *familiaris*:

As 874 *Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.*

Ci IV 2, 61 *Alienum quod damnum afferat et maerorem familiarem.*

noster oppositum est:

Mi 431 *nos nostri an alieni simus:* e. q. s. s.

Altus

significat id quod est 1) supra terram aut 2) sub terrae superficie:

1) Mi 1065 *Tum argenti montis, non massas habet*: **Aetina** *non aeque* **altast.**

2) Mi 1150 *Non tu scis, quom ex* **alto puteo** *sursum ad summum escenderis,*

R 460 *Nimio minus* **altus puteus** *uisust quam prius.*

Ceteris quibus exstat *altus* locis munere fungitur substantivi *mare* das hohe Meer:

ex alto Mn 227

in alto E 49 R 513 Ti 827. 832

in altum As 158 Mi 117 R 395 V XXII 2 R prol. 66

Adverbium *alte* invenies Ci I 1, 57 *ut petiuit*

Suspirium alte!

profundus adiectivum semel Plautus usurpavit ad efficiendam παρονομασίαν:

Cp 182 *Profundum uendis tu quidem, haud fundum mihi.*

Amoenus

Mi 412 *Gratisque agam eique ut Arabico fumificem odore amoene:*

amoene adverbium apud Plautum hoc uno loco occurrit. Considerato versu:

Mn 168 *Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore inlutili.*

substituendum videtur *amoeno*, de quo iam cogitavit Pareus [3]; *amoene* natum esse ex proxime praeeunte verbo *odore* veri est simillimum.

Ancipes

est in Plauti fabulis zweiſchneidig, auf beiden Seiten ſcharf:

Mn 858 *securim capiam ancipitem*

R 1158 *securicula ancipes,*

Translata est vis huius adiectivi:

Po prol. 25 *Domum abeant, uitent ancipiti infortunio:*

Ne et hic uarientur uirgis et loris domi,

Animatus

Tu 966 *Romae habeo: si quis animatust facere, faciat ut sciam.*

Sic versum viotiose traditum edidit F. Schœll; praestat incerta Spengelii coniectura:

Intro abeo: si quid animatus' facere, facias ut sciam.

(si quid BCDZ, *animatu's* Lambinus cum plerisque).

Hoc uno loco excepto ad *animatus* a Plauto semper adnectitur adverbium vel adverbii notio:

Am 209 *sin* **aliter** *sient* **animati**
Ti 715 *Sin* **aliter animatus** *es,*
Am 762 **ita animatus** *fui ..., ut*
As 505 *An* **ita** *tu's* **animata,** *ut*
Cp 407 (406) *haec pater quando sciet,*
Tyndare **ut** *fueris* **animatus** *erga*
Ti 698 *Scio equidem te* **animatus ut** *sis*:
Mn 203 **Hoc animo** *decet* **animatos** *esse amatores probos.*
B 942 *Armati atque* **animati probe.**

Annuus

de rebus tantum dicitur:

As 886 *Non edepol conduci possum* **uita** *uxoris* **annua**
Ps 178 *Nam nisi mihi* **penus annuos** *hodie conuenit,*
B 17 **mercedem annuam**
Tu 31 **merces annua:**

Antiquus

In deliciis habet Plautus **antiquus** et **uetus** ita inter se iungere, ut in versus clausula scribat **antiquom et uetus,** in medio versu sollemniter **ueterem atque antiquom (antiquam):**

B 711 *Recta porta inuadam extemplo in oppidum* **antiquom et uetus:**
Mo 476 *Scelus, inquam, factumst iam diu* **antiquom et uetus —**
Mi 751 *Quin tu istanc orationem hinc* **ueterem atque antiquam** *amoues?*
Pe 53 **Veterem atque antiquom** *quaestum maiorum meum*
Ti 381 *Historiam* **ueterem atque antiquam** *haec meu senectus sustinet.*
Am prol. 118 **Veterem atque antiquam** *rem nouam ad uos proferam.*
Addam:
Po 978 *Seruos quidem edepol* **ueteres antiquosque** *habet.*

Arbitrarius

huic voci opponitur *certus:*

Am 372 *Hoc quidem profecto certumst, non est arbitrarium.*
Po 787 *Nunc pol ego perii certo, haud arbitrario.*

Argentarius

et adiectivum et substantivum constanter suum locum habent in clausula uno excepto loco Cu 679, quo loco Cappadox leno in scenam progressus pluribus verbis ipse secum loquitur de argentariis ob eamque rem gravitatis causa substantivum *argentariis* in versus initio collocatur; exempla habes: 1) adiectivi E 158. 672 Mn 377 Ps 105. 300. 424 2) substantivi As 116 [126] Au 527. 529 [530] Cu 377 Pe 434. 442 Cs prol. 25

Argenteolus

adiectiva deminutiva quae vocantur Plautum ita usurpavisse, ut ab adiectivis, de quibus derivata sunt, minime differant, apud homines sermonis Plautini peritos satis constat.

Argenteus

nusquam nisi in versuum clausula obvium est: Au 343 Mo 621 Ps 46. 47. 100. 347 Tu 53

Aridus

prorsus facio cum O. Seyfferto, qui in «Stud. Plaut.» pag. 6 restituendis versibus Au 297 Pe 266 priscam formam *ardus* commendat et sic scribi vult:

Au 297 *Punex non aequest ardus atque hic est senex.*

Pe 266 *Nam id demum lepidumst, triparcos homines uetulos ardos auidos*

Pleniorem formam *aridus* scriptam habemus in septenarii trochaici pede quinto:

R 726 *Tu senex si istas amas, huc arido argentost opus.*

et in clausula trochaica:

R 574 *Recipe me in tectum, da mihi uestimenti aliquid aridi,*

R 764 *Nullum habemus ignem: ficis uictitamus aridis.*

Atrox

Cp 539 *Occisast haec res, nisi reperio atrocem mi aliquam astutiam atrocem,* quod hoc uno loco in Plauti fabulis traditum est, quid sibi velit, non assequor. Corruptum esse *atrocem* in codicum Palatinorum archetypo ex *corde* suspicor collatis versibus:

Cp 530 *Nisi si nimis scitam aliquam corde machinor astutiam.*

Mr 346 *Nec quid corde nunc consili capere possim, Scio:*

Audax

audax et *malus* inter se consociantur, quorum verborum coniunctio nonnisi in versuum clausulis exstat:

Mn 731 *Heu hercle, mulier, multum et audax et mala's.*

B 949 *Nam illi itidem Vlixem audiui, ut ego sum, fuisse et audacem et malum.*

Mo 1078 *Nostrum ego hunc uicinum opinor esse hominem audacem et malum.*
Addere liceat

Mi 307 *quid peiust muliere aut audacius?*

Audiens

copulatur cum 1) *dicto,* 2) *dicto imperio,* 3) *imperiis:*

1) Am 989 *Ego sum Ioui* **dicto audiens,**

Pe 836 *Te mihi* **dicto** *esse* **audientem** *addecet.*

As 544 **Audientem dicto,**

Mn 444 **Dicto** *me emit* **audientem,**

Pe 399 **Dicto** *sum* **audiens.**

Ti 1062 *Sed si non* **dicto audiens** *est,*
2) Am 991 *eius* **dicto imperio** *sum* **audiens.**
3) Tu 125 *Tuis seruio atque* **audiens** *sum* **inperiis.**

Benignus

plerumque usurpatur de personis : Mi 1230 Pe 38. 476. 583 R 261. 1389 Ti 740 Tu 34. 41 Ti 459 (*benigiorem*), de rebus : Mi 1055 *benignum ingenium*
Mn prol. 4 *benignis auribus*

Blandus

Plautus dixit et *blanda uerba :*
Pe 250 *blanda uerba*
Ps 450 *blandis uerbis*
immutato ordine :
As 525 *Verba blanda*
et *blanda dicta :*
E 321 *Quomodo mi Epidici blanda dicta euenant.*
Mo 395 *Ei mihi, quam, istaec blanda dicta quo eueniant, madeo metu.*

Capitalis

substantivo *periculum* ut antecedit, ita alia substantiva subsequitur :
R 349 *Capitalique ex periculo*
Ti 1088 *capitali periclo*
Mr 183 *in re capitali mea.*
S 502 *in re capitali mea?*
Mi 294 *fraudem capitalem*
Po 879 *inimicum capitalem?*

Certus

Quod *certumst,* idem exprimit *certa res est :*
Cp 778 *Nunc certa res est,*
Mr 857 *Cogito, quo nam ego illum curram quaeritatum. Certa rest*
(*certa rest* Acidalius, *certarest* B, *certa res est* reliqui)
Mi 398 *Scin te perisse? Nunc quidem domi certost : certa res est,*
Mo 706 *Exsequi certa res est, ut abeam*
Pe 223 *Par pari respondes dicto. abi iam, quando ita certa rest :*
(*re'st* Guiet, *res est* libri)
Ti 270 *Certa res est ad frugem adplicare animum :*
(*Certa res est* Ritschl, *certa est res* A, *certumst* ceteri)
S 473 *Promitte. Certumst. Sic face, inquam. Certa rest.*
(*certa res* A, *certa res'st* Guiet, *certa res* (*certares* B) *est* libri praeter A, *Est certa res* Fleckeisen)
Am 705 *At pol qui certa res*
Hanc obiurigarest, quae

est cum in hac, de qua agitur, verborum comprehensione nullo interiecto vocabulo a *certa res* divelli soleat, probo coniecturam Ritschelii (opusc. II 429) scribentis:

certa rest
Hanc obiurigare, quae
Mi 267 *Res paratast: ui pugnandoque hominem caperest certa res.*

(*caperest certa res* ex A Ritschl, *capere certa res* (*certares* B) BCDF; *capere certa res est* Z *capere certa rest* recte Acidalius) Brix adnotavit haec: „Die ungewöhnliche Stellung von est ist hier durch metrische Rücksicht veranlaßt, da vor dem letzten Kretikus gern eine lange Silbe steht."

Pro *certumst* vel pro *certa res est* Plautus haud raro posuit:

decretumst As 73. 247 Au 572. 574 B 516 Cs 94 Ci III 17 Mr 1 Mi 77 Po 501 S 218 V f. V 6
consiliumst Mi 344 R 928
certumst consilium E 163
definitumst Ci II 1, 52

Citus

Am 244 *Equites parent citi, ab dextera maxumo*
Cum clamore inuolant,

post *parent* interpungit Ussing, qui adnotat: «Comma posui post *parent*; vulgo minus apte post *citi* ponunt.» Ussing tametsi nullam addidit causam, qua commotus ita vocabula distinxit, tamen rectam ingressus est viam; *citus* enim adiectivum si adverbii *cito* obtinet vicem, a Plauto nisi cum verbis movendi non consociatur:

Am 1111 **pergunt** *ad cunas* **citi:**
Am 1115 **Citus** *e cunis* **exilit,**
S 394 *ego huc* **citus**
Praecucurri,

citus igitur hoc loco referendum est non ad *parent*, sed potius ad *inuolant*.

Clarus

Po 1146 *Quae east supellex? Clarus clamor sine modo.*

Verbis *Clarus clamor* transpositis:

Quae east supellex? Clamor clarus sine modo.

constituere licet adiectivum *clarus* perpetuo a Plauto post substantivum esse positum. Quae huc spectant exempla leguntur:

Am 547 *Vt mortalis inlucescas* **luce clara** *et candida.*
Au 748 **Luci claro** *deripiamus aurum matronis palam:*
Am 1120 **uoce clara** *inclamat uxorem tuam*
As 947 **plausum** *si* **clarum** *datis.*
R 1421 *Verum si uoletis* **plausum** *fabulae huic* **clarum** *dare,*
Ps 525 *Dabo aliam* **pugnam claram** *et commemorabilem.*
Mi 1 *Curate ut* **splendor** *meo sit clupeo* **clarior**
Cs prol. 3 *Si uerum dixi,* **signum clarum** *date mihi,*

Columis

Ti 743 *Columem te sistere ei, sed detraxe autument.*

Ti 823 *Quom suis me ex locis in patriam urbem usque columem reducem faciunt.* (*columem* Ritschl)

Hanc pristinam formam sine ullo numerorum detrimento restituere licet:

Pe 324 *Atque omne ego argentum tibi hoc actutum* [*in*] *colume redigam.*

Tu 168 *Rapere otiose oportuit, diu ut essem* [*in*] *columis uobis.*

Priscis vocabulorum formis creberrime ab amanuensibus substitutas esse recentiores inter omnes constat.

Consentaneus

Subsequitur apud Plautum modo accusativus cum infinitivo coniunctus, modo *ut:*

Cu 165 *Anime mi, me procul amantem abesse haud consentaneumst.*

B 139 *Non par uidetur neque sit consentaneum,*
142 *Praesens ibi paedagogus una ut adsiet.*

Continens

Plautus genuina significatione iam exuit = enthaltſam:

As 857 (856) *At scelesta ego praeter alios meum uirum rata sum probum,*
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxume.

Mo 31 (30) *Quo nemo adaeque iuuentute ex omni Attica*
Antehac est habitus parcus nec magis continens,

Continuus

de tempore tantum usurpatur:

Am 314 *Nam continuas has tris noctes peruigilaui.*

Ci II 1, 22 (21) *ita pater apud uillam detinuit*
Me hos dies sex ruri continuos,

Mi 743 *Verum ubi dies decem continuos sit, east odiorum Ilias.*

Mi 742 *Quin, ubi triduom continuom fuerit, iam odiosus siet:*

S 214 *Quae inter continuom perdidi triennium.*

Cupidus, cupiens

Promiscue utrumque verbum eodem sensu usurpatum est:

cupidus: B 1015 Cu 96. 98 Mi 1215 Po 179 Ps 183 Ti 237 (iustam causam video nullam, cur traditum vocabulorum ordinem non sequamur:

Numquam amor quemquam nisi cupidum hominem postulat se in plagas conicere:)

cupiens: B 278 Mi 997. 1049. 1165 Po 660 Am prol. 132 Po prol. 74

cupide: Cs 267 *(cupide cupis)* Mo 73 *(cupide petas* cf. Ps 683) S 284 *(cupide expetit)*

cupienter: Ps 683 *(cupienter petimus)*

Curiosus

Huius adiectivi vim explicavit Plautus ipse:

S 198 ss. *Sed curiosi sunt hic quomplures mali,*
Alienas res qui curant studio maxumo,
Quibus ipsis nullast res, quam procurent, sua.
S 208 *Nam curiosus nemost, quin sit maleuolus.*

Decrepitus

a Plauto nonnisi de senibus usurpatur:
As 863 *decrepitus senex.*
Cs 559 *Nunc ego illum nihili, decrepitum, meum uirum ueniat uelim,*
(i. e. Lysidamus senex).
E 666 *nos uetulos decrepitos duos*
(i e. Periphanes et Apoecides senes)
Mr 291 *Senex uetus, decrepitus.*
Mr 314 *decrepitus senex*

Dexter

Mi 607 *Sed speculabor, ne quis aut hinc aut ab laeua aut dextera*
Retinendam potius esse scripturam codicum CDFZ et Ritschelii:
Sed speculabor, ne quis aut hinc ab laeua aut a dextera
mecum consenties comparata magna multitudine locorum, quibus repetitur praepositio:
As 260 *Picus et cornix ab laeua, coruos parra ab dextera Consuadent:*
Po 417 *Nunc opsecro te, Milphio, hanc per dexteram*
Perque hanc sororem laeuam
Alia permulta exempla congessit Mueller Nachtr. p. 77.

Diligens

esse germanice ſorgſam, ſorgenð, «quia qui diligit, libenter curam impendit» his versibus docetur:
Am 630 *Et memor sum et diligens, ut quae imperes compareant:*
Am 973 *Recte loquere et proinde diligentem ut uxorem decet.*
(inspicias versus qui proxime antecedunt).
Quod de adiectivo, idem valet de adverbio:
Cp 226 *Adcurate agatur docte et diligenter.*
Mn 968 (967) *Procurat uidet, collocat cogitatque,*
Vt absente ero tam rem eri diligenter Tutetur,
et substantivo *diligentia:*
Cp 115 *Sed uti adseruentur magna diligentia.*
R 820 *Curate haec sultis magna deiligentia.*

Diuinus

apud Plautum ante substantivum ponitur excepta locutione *res diuina* = Opfer, quae his exstat locis: Am 966. 968. Au 612 Cp 291. 861 Cu 532. 558 E 316. 415. 418 [419] 501 Po 405. 408. 499. 618 Ps 267 R 95. 130. 343. 347. 1206 S 396. Confer:
Am 976 *diuine Sosia,*
B 926 *diuina moenitum manu*

Mo 1104 *diuinis locis.*
Ps 826 *diuinis condimentis.*
(Mi 675 *in diuinis rebus,* quem versum non ab ipso Plauto conditum esse constat).

Doctus

Hoc adiectivum consociare cum substantivo *dolus* Plautus in deliciis habet atque ita quidem, ut haec verborum complexio occurrat in versus fine adiectivo priore loco posito:
Mi 248 *Nimis doctum dolum.*
Ps 527 *Per sycophantiam atque per doctos dolos*
Mi 147 *Ei nos facetis fabricis et doctis dolis*
Pe 480 *Hunc hominem ego hodie in trasennam doctis inducam dolis:*
In Bacchidum versu 1095
Is me scelus auro usque attondit dolis doctis indoctum ut lubitumst.
adiectivum subsequitur idcirco quod verba *doctis* et *indoctum* inter se sunt opposita.
Mr 632 *Homini docto rem mandare: is lapidi mando maxumo.*
optimo iure Ussing delevit voculam *is.*

Dolosus

a Plauto tantum de personis usurpatur:
E 372 *dolosam fidicinam,*
Mi 198 *quem dolum doloso contra conseruo parem,*
Ps 1251 *luctator dolosust.*

Egens — Egenus

Discrimen inter haec duo vocabula hoc intercedit, ut *egens* de personis dicatur, *egenus* semper cum substantivo *res* copuletur. Cf:
B 651 *egens consili seruos,*
Pe 1 *Qui amans egens ingressus est princeps Amoris in uias,*
Pe 123 *Cynicum esse egentem oportet parasitum probe:*
Pe 256 *ut egenti opem adferam.*
R 274 *Nunc tibi amplectimur genua egentes opum,*
R 409 *Timidas, egentis, nuidas, eiectas, exanimatas Accepit ad sese:*
S 282 *Eraeque egenti*
S 331 *egentem parasitum,*
V f V 34 *hominem egentem*
V f V 26 *Egentiorem (hominem quam ego su) m, neminem egenus:*
Cp 406 *Rebus in dubiis egenis.*
Po 130 (129) *Saepe ego res multas tibi mandaui, Milphio,*
Dubias, egenas, inopiosas consili,

Felix

exstat apud Plautum solum in hac formula:
Ti 41 *Bona fausta felix fortunataque euenat —*

similiterque usurpatum habes adverbium *feliciter:*

Au 788 (787) *Bono animo's, benedice: nunc quae res tibi et gnatae tuae*
Bene feliciterque uortat: ita di faxint, inquito.

At frequentissimus est usus adiectivi *infelix;* sufficiat versuum, in quibus occurrit, ascribere numeros: Am 325 As 292 Au 786 Ci IV 2, 16 Mi 300 Mo 362 Pe 742 Po 452 R 585 V f. V 8

Festus — Profestus

Haec adiectiva nisi coniuncta cum substantivo *dies* in Plauti fabulis frustra quaeras. Testimonia sunt haec:

Au 380 *festo die si quid prodegeris,*
Profesto egere liceat, nisi peperceris.
Cs 137 *festus dies,*
Po 501 (500) *res serias Omnis extollo ex hoc die in alium diem.*
Profestos festos habeam decretumst mihi.
Po 758 *Die festo*
Po 848 *festo die.*
Po 1180 *Festus dies,*
Po 1366 *festum diem*

Furtivus

de feminis tantum ac passive usurpatur:

Cu 620 *furtiuas atque ingenuas uirgines,*
Pe 522 *mulierem, Furtiuam*
Pe 545 *furtiua uirgo?*
Pe 715 *Qui mihi furtiuam meo periculo uendidit.* (i. e. uirginem)
Po 899 *Et ille qui eas uendebat dixit se furtiuas uendere:* (i. e. uirgines)

Gallinaceus

nonnisi in versus clausula exstat:

Au 465 *gallus gallinacius*
(Au 472 *in gallo gallinacio.*)
Cp 849 *pullos gallinaceos?*
Cu 450 *pulli gallinacei,*
Ti 935 *cunila gallinacea.*

Gloriosus

Hoc adiectivo de personis constanter utitur Plautus, nunquam de rebus:

B 24 *Praenestinum opino esse: ita erat gloriosus.*
Cu 471 *mendacem et gloriosum,*
Cu 633 *Vt fastidit gloriosus.*
E 301 (300) *Auro opulentus, magnus miles Rhodius, raptor hostium,*
Gloriosus:
Mi 87 (86) *Alazon graece huic nomen est comediae:*
Id nos latine gloriosum dicimus.

Mi 89 (88) *illest miles, meus erus,*
Qui hinc ad forum abiit, gloriosus, inpudens,
Ps 674 *Atque ego nunc me ut gloriosum faciam*
Ps 794 *Multilocum gloriosum,*
Tu 156 *Postremo illi sunt inprobi, nos nequam et gloriosae*
Cp prol. 58 *miles gloriosus:*

Grandis

ubicunque significat groß, solum de rebus a Plauto usurpatum est; de personis dictum usquequaque idem valet ac *grandis natu*, alt.

B 992 *grandes* (i. e. litterae)
Cp 258 *grandi... pecunia?*
Cs 914 *quicquid erat, grande erat.*
Cu 368 *Poclum grande et aula magna,*
Cu 405 *solidam et grandem gratiam.*
Mr 22 (21) *Magno atque solido multat infortunio;*
...sine grandi malo,
Mr 97 (96) *ita peculium Conficio grande.*
Pe 638 *grandis bolos.*
S 295 *Tantum a portu adporto bonum, tam gaudium grande adfero:*
Ti 271 *grandis capitur labos.*
E 13 *gradibus grandibus.*
Tu 286 *grandi gradu,*
Cu 118 *Grandiorem gradum*
pergrandis:
Pe 494 *pergrande lucrum*
grandiculus:
Po 481 *grandiculos globos:*

Contra *grandis* est *grandis natu:*

Au 191 *Virginem habeo grandem, dote cassam atque inlocabilem,*
Au 214 *Aetatem meam scis? Scio esse grandem*
Cp 1019 *At ego hunc grandis grandem natu ob furtum ad carnuficem dabo.*
Ti 374 *Soror illist adulta uirgo grandis:*
Au 159 *Sed est grandior: nam mulieris est aetas media.*

Hosticus — Hostilis

Promiscue his duobus adiectivis usum esse Plautum intellegitur ex his exemplis:

Cp 246 *Per conseruitium commune quod hostica euenit manu,*
Cp 311 *Tam mihi quam illi libertatem hostilis eripuit manus:*

Idoneus

Hoc adiectivum de hominibus modo usurpatum nusquam nisi in versus fine exstat:

Au 252 *hominem idoneum,*

Mo 622 *uideturne, opsecro hercle, idoneus,* (i. e. danista)
Po 583 *homines magis ad hanc rem idoneos:*

Ignavus

Mr 132 *Acanthio, quem quaeris. Nusquamst disciplina ignauior.*
(Non me uides?) Quae te malae res agitant?

Hos duos versus in unum contraxit Buecheler Mus. Rhen. XV 428 s. sic:

Acanthio, quem quaeris. Quae te res malae agitant — ⏑ —

eiectis verbis *Nusquamst disciplina ignauior* tamquam fictis e versu 115, quo non decedentes properanti de via homines Acanthio indignatur: *haec hic discipulina pessumast.* Summo iure Buechelerum verba *Nusquamst disciplina ignauior* delevisse cum ex ea, quam attulit, causa tum imprimis ex altera apparet. Usus enim est Plautus adiectivo *ignauus* constanter de hominibus. Hanc ad regulam probandam liceat ascribere exempla:

[B 544 *Sibi ne inuideatur ipsi ignaui recte cauent.*]
Cp 262 *Non igitur nos soli ignaui fuimus.*
Cs 240 *Senectan aetate unguentatus per uias, ignaue, incedis?*
(i. e. Lysidamus senex)
Mn 973 *Detur ab eris suis ignauis improbis uiris.*
Mi 1045 *Viden tu ignauom, ut sese infert?*
Mo 856 *Nisi molestum uis uideri te atque ignauom.*
Ps 133 *exite, ignaui,*
R 829 *ignaui homines*
Ti 165 *ille ignauos*
Cs 244 *Te sene omnium in senecta neminem esse ignauiorem.*
B 556 *me esse dicito ignauissumum.*
Cs 534 *ne illis ignauissumis* (i. e. senibus)
Mn 924 *homo ignauissume?*
Po 1282 *Is etiam me ad prandium ad se abduxit ignauissumus*
Ti 926 *ille ignauissumus*

Praeterea ex eis quae congessi exemplis intellegitur

Po 846 *Qui ipsus hercle ignauiorem potis est facere ignauiam.*

rectius scribi *Ignauiam.*

Imus

S 489 *Scis tu me[d] esse unum [imi] subselli uirum.*

Multum sudaverunt homines docti in hoc versu resarciendo; *imi* inseruit verborum contextui Pius.

Cp 471 *Nil morantur iam Lacones imi subselli uiros,*

(*imi* FZ, *uni* ceteri). Plautum non hac superlativi forma usum esse, sed potius pleniore *infumus* discimus ex versibus As 891 Cp 305 Cu 475 Mo 825 S 236. 493

In versu S 489 praebent libri cum A *uni subselli uirum.* Scripturam *uni* restituendam esse puto et Cp 471 et S 489, quem versum ita reconcinnare licet:

Scis tute med esse uni subselli uirum.

Adverbium *ime* substituit falso Fr. Schœll in versu Cp 577.

Incitus

nusquam a Plauto usurpatum est nisi in hac compositione *ad incitas redigere* (scil. calces):

Po 907 *Profecto ad incitas lenonem rediget,*
Ti 537 *Vt ad incitas redactust.*

Inclutus

Hoc adiectivo solum de personis utitur Plautus:

Mi 1227 *Vt tu inclutu's apud mulieres.*
Pe 251 *Ioui opulento, incluto,*
Ps 174 *inclutae amicae:*
Tu 74 *mulierem inclutam* (a Schœllio substitutum)

Inparatus

occurrit in Plauti fabulis nonnisi oppositum adiectivo *paratus:*

Cp 538 *qui ex parata re inparatam omnem facis.*
Cs 827 *facies tu hanc rem mi ex parata imparatam:*

Inpos

nusquam in Plauti comoediis hoc adiectivum invenies nisi cum genetivo *animi* atque ita quidem coniunctum, ut nullum intercedat aliud vocabulum nisi *que:*

Cs 629 *quae suist sibi impos animi.*
B 614 *Incredibilis inposque animi,*
Mn 110 *indomita imposque animi,*
Ti 131 *animi impoti,*
Tu 828 *animi inpos*
Tu 832 *animi inpos* (substitutum a Schœllio)

Insperatus

Po 1127 *O mi ere, salue, o Hanno, insperatissume,*
Mihi tuisque filiis, salue:

Vocabula *Mihi tuisque filiis* cum non pendeant ex verbo *salue,* ut voluerunt Gœtz et Lœwe, sed potius ex adiectivo *insperatissume,* delendum est comma illud post *insperatissume* positum. Hoc demonstratur versu:

Po 1259 s. *Salue, insperate nobis Pater, te conplecti nos sine.*

quo loco recte interpungendo vocabula distinxerunt editores.

Integer

Hoc adiectivum ter compositum est cum adiectivo *nouus:*

Cs 626 *nouam atque integram audaciam.*
Tu 245 (244) *Semper datores nouos oportet quaerere,*
Qui de thensauris integris demus danunt.
Tu 725 (724) *amator nouos quispiam?*
Integrum et plenum adortast thensaurum.

Praeterea *integer* exstat:

B 1071 *integrum omnem exercitum.*
Pe 754 *integro exercitu*
Mr 550 *Adulescens quom seis, tum quomst sanguis integer,*.
Ps 203 *quibus aetas integrast,*
Cs 832 *Amabo, integrae atque imperitae huic Impercito.*
Tu 821 *Loquere filiam mihi meam quis integram* [*stuprauerit.*]

Inultus

constanter de hominibus dicitur:

Am 1041 *Numquam edepol me inultus istic ludificabit, quisquis est*
E 328 (327) *Numquam inridere nos*
Illum inultum sinam seruom hominem.
Mn 521 *Faxo haud inultus prandium comedereis.*
Mo 1113 *Numquam edepol tu haec hodie inultus designaueris:*

Laboriosus

Hoc adiectivum in Plauti fabulis nusquam de personis usurpatur:

Mr 507 *Laboriossi nil tibi quicquam operis imperabo.*
V f. III 14 *Laboriosa, adulescens, uitast rustica.*

Laetus

Tu 701 *Diui magni! ut ego nunc laetus sum et laetitia differor!*

Voculam *nunc* verborum contextui inseruit Fr. Schœll (iam antea Guiet *laetus nunc sum*), quod supplementum mihi videtur frigere. Multo praestantior est coniectura Spengelii in Truculenti editione et Muelleri Plaut. Pros. pag. 284 et 691, qui scribendum proposuerunt:

Di magni, ut ego laete laetus sum et laetitia differor!

Adiectivum adverbii ab eadem stirpe derivati ope augere Plautus in deliciis habet, quod ad demonstrandum sufficiant haec exempla:

As 616 *misere miser* (a Lœwio et Gœtzio propositum)
Ps 13 *misere miser*
Au 721 *misere miserum:* (Seyffert Stud. Plaut. pag. 9)
Ci IV 2, 21 *misere miseri.*
R 977 *inpudenter inpudens?*
Au 314 *parce parcum*
Cs 522 *scite scitus*
B 407 *unice unicum.*
S 10. 11 *unice unus*
As 208 *unice unum*
B 207 *unice unum*
Tu 194 *unice unum!*
R 426 *belle bellam* (sic Schœll)
Mi 258 *docte ... perdoctam*
Cs 854 *belle belliatula.*

Praeterea

Mi 1015 *firme fidus.*
Mo 495 *inepte stultus*
Ps 1017 *uorsute malum*
Ti 1008 *propere celerem,*
Tu 493 *argute cati:* (Seyffert Stud. Plaut. pag. 24) e. q. s. s.
Mi 739 *Meae domi accipiam benigne, lepide et lepidis uictibus.*

Plautus haud scio an scripserit sic:

Meae domi accipiam benigne et lepide lepidis uictibus.

Laevus

ab laeua — ab laeua manu
ad laeuam — ad laeuam manum

Discrimen inter has verborum comprehensiones hoc intercedit, ut *ab laeua* et *ad laeuam* locum suum habeant in medio versu, *ab laeua manu* et *ad laeuam manum* in versus clausula. Quae lex egregie comprobatur his exemplis:

As 260 *Picus et cornix ab laeua, coruos parra ab dextera Consuadent:*
Ci III 10 *Vtrum hac me feriam, an ab laeua, latus?*
Mn 838 *Ita illa me ab laeua rabiosa femina adseruat canis:*
Mi 607 *Sed speculabor, ne quis aut hinc ab laeua aut a dextera*

(Hunc versum sic esse scribendum supra demonstratum est sub adiectivo *dexter* pag. 18)

Mi 361 *Respicedum ad laeuam: quis illaec mulier est?*
Mi 1216 *Vbist? Ad laeuam. Video.*
Au 624 *Non temerest quod coruos cantat mihi nunc ab laeua manu.*
Mn 555 *Demam hanc coronam atque abiciam ad laeuam manum:*
Pe 631 *in angulo ad laeuam manum.*

Latebrosus

cum substantivo *locus* in versus fine occurrit:

B 56 *latebrosus locus.*
[B 430 *in latebrosis locis.*]

Lenonius

plerumque locum in clausula versus obtinet: As 241 Mn 553 Pe 244. 406. 582 Ps 289. 335. 766. 767; exstat omnino hoc adiectivum in fabulis Plautinis undeciens: (Cu 499 R 1386)

Medius

E 679 *Dummodo sine me quaeras, quaeras mea causa medio in mari.*

Verborum *medio in mari* collocationem ab usu Plautino alienam esse facile perspicitur ex eis, quae iam afferam, exemplis:

As 100 *Reti autem iaculo uenari* **in medio mari.**
Tu 527 *Si hercle me* **ex medio mari**
Cs 140 *Quasi mus* **in medio parieti** *uorsabere.*
Po 315 *Immo etiam* **in medio oculo** *paullum sordist.*

Po 1301 **in media uia?**
R 471 **in media uia.**
Ps 984 **in medio lutost.**
Au prol 7 **in medio foco**

Apparet igitur in versu de quo agitur scripturam codicis F *in medio mari* restituendam esse:

Dummodo sine me quaeras, quaeras mea causa in medio mari.

Mirus

Vbicunque cum adiectivo *mirum* copulata sunt vocabula *ni, nisi, qui, quid, quin, si* a Plauto semper esse omissum verbum *est* contenderim; quod ad demonstrandum exempla quotquot sunt omnia ante oculos ponam:

Am 319 *Mirum ni*
Cs 554 *Atque edepol mirum, ni*
E 414 *Mirum hoc qui potuit fieri.*
Am 954 *Mirum quid solus secum secreto ille agat.*
Am 750 *Mirum quin te aduorsus dicat.*
Au 85 *Mirum quin*
Ci IV 2, 68 *Mirum quin*
Mr 204 *Mirum quin*
Mo 493 *Mirum quin* (*quin* Pylades, *qui* libri)
Pe 339 *Mirum quin*
Pe 433 *Mirum quin*
R 1393 *Mirum quin*
Ti 495 *Mirum quin*
Ti 967 *Mirum quin* (*quin* FZ, *quid* BCD)
Mi 1041 *Ecastor haud mirum, si te habes carum,*

(mirum, si libri recte, perperam *mirumst: te* Ritschl et *mirumst, si* Haupt, Lorenz, Ribbeck)

Tu 305 *Nil mirum — uetus est maceria — lateres si ueteres ruont.*

Huic normae tanta exemplorum copia satis superque confirmatae repugnant hi duo versus:

Cp 824 *Mirumque adeost ni hunc fecere Aetoli sibi agoranomum.*

Regula haud scio an laedi liceat vocabulis interpositis *que adeo.* Alter versus, quo norma illa offenditur, est

V f V 22 *Mirumst ni au(diui) tuam u(ocem u)squa(m gentium).*

ad quem locum adnotat Studemund: „man erwartet nach dem ſonſtigen Sprachgebrauch des Plautus *mirum ni* (ohne *est*)". Utroque loco voculam *est* delere possumus sine ullo numerorum detrimento.

Prorsus aliter res se habet:

Ps 1213 *Tu, nisi mirumst, leno, plane perdidisti mulierem.*

hic enim habemus unam comprehensionem.

Pluralem autem numerum *sunt* Plautum constanter posuisse testantur apertissime haud ita pauci loci, quos ad unum omnes congeram:

Am 283 *Mira sunt nisi*
Am 431 *Mira sunt nisi*

B 450 *Mira sunt ni*
Cp 805 *Mira edepol sunt ni*
Po 839 *Omnia edepol mira sunt, nisi*
Ps 1216 *mira sunt, ni Pseudolust.* (*ni*, quod in A videtur fuisse, addidit Pylades, omiserunt BCDFZ)
Ti 861 s. *mira sunt, Ni*
Mn 1046 *dicebant quid sit. mira sunt:* (an *dicebant. quid sit, mira sunt:*)?

Molestus

Mo 74 *Molestus ne sis: nunciam rus te amoue.*
Fortius insistere orationem oportere arbitror post *nunciam*, non post *sis; nunciam* enim referendum esse ad verba *Molestus ne sis* cognoscimus collato versu:
Ps 118 *Dabo: molestus nunciam ne sis mihi.*

Natalis

a Plauto tantum substantivo *dies* adnectitur: Cp 174 Cu 656 E 639 Pe 769 (768) Ps 165. 179. 234. 775. 1237 R 1171.

Novus

Huic adiectivo oppositum est adiectivum *uetus*, nunquam *antiquus:*
Cp 362 s. *uolt te* **nouos** *erus operam dare Tuo* **ueteri** *domino*
Ci I 3, 51 *seruate uostros socios,* **ueteres** *et* **nouos**;
Ci II 1, 38 *Inter* **nouam** *rem uerbum usurpabo* **uetus**:
Mr 976 **nouos** *amator,* **uetus** *puer?*
Ps 434 ss. *Quid mirum fecit? quid* **nouom**, *adulescens homo*
Si amat, si amicam liberat? Lepidum senem.
Vetus *nolo faciat.*
S 768 *Cedo cantionem* **ueteri** *pro uino* **nouam.**
Tu 677 **Nouos** *omnis mores habeo* **ueteres** *perdidi:*
Cs prol. 9 (8) *Aequomst placere ante alias* **ueteres** *fabulas:*
Nam nunc **nouae** *quae prodeunt comoediae*
Am prol. 118 *Veterem atque antiquam rem nouam ad uos proferam.*
Is qui prologum composuit tenebat memoria Plautum saepius iunxisse inter se adiectiva *uetus* atque *antiquus.*

Opportunus

Plautum cum verbo *advenire* et adiectivum *opportunus* et adverbium *opportune* coniunxisse discimus ex his versibus:
Mo 574 (573) *Numquam potuisti mihi*
Magis opportunus aduenire quam aduenis.
Mo 1077 *Philolaches iam hic aderit. Edepol opportune mi aduenit.*
Libri manu scripti praebent scripturam *mihi opportune;* ad hiatum ante *opportune* effugiendum transposuit *opportune mihi* Guiet, quem secutus est Ritschl; collato versu Mo 574 haud scio an scribere liceat:

Philolaches iam hic aderit. Edepol mi opportunus aduenit.
Pe 101 *O Saturio, opportune aduenisti mihi.*
Ps 669 *Namque ipsa Opportunitas non potuit mi opportunius*
Aduenire quam haec allatast mi opportune epistula.
As 733 *Vt temperi opportuneque attulistis.*

opportune praeterea exstat:

Po 576 *Euge opportune egrediuntur Milphio una et uilicus.*
Tu 852 *Sed nimium pol opportune eapse eccam egreditur foras —*
Mi 897 *Bene opportuneque obuiam es,*

Paucus

paucis uerbis sollemnis est apud Plautum hic verborum ordo nullo unquam alio interiecto vocabulo:

Am 1087 *De ea re signa atque argumenta paucis uerbis eloquar.*
Cu 333 *Respondit mihi paucis uerbis atque adeo fideliter,*
Quod tibist, item sibi esse, maxumam argenti inopiam.
(pro *item* scribendum mihi videtur *idem*)
Mi 375 *Sed paucis uerbis te uolo:*
Po 408 *Paucis uerbis rem diuinam facito.*
Ti 160 *uerbis paucis quam cito Alium fecisti me:*

(Hoc in versu Plautum a lege verba collocandi discessisse propterea, quod vocabula *paucis* et *cito* inter se opponuntur, valde est probabile). Saepenumero omissum est a Plauto substantivum *uerbis;* exempla habemus: Au 199 B 589 Mn 252. 779 Pe 599 R 120. 650. 1102 Tu 864 Au prol. 1 Cp prol. 53 Ti prol. 4

uerbis pauculis positum est in senarii clausula:

E 460 *Vt dicis: emi. Volo te uerbis pauculis,*

pauca in uerba conferre:

Pe 661 *Tum tu pauca in uerba confer:*
As 88 *Nunc uerba in pauca conferam*
Mn prol. 6 *Quam potero in uerba conferam paucissuma.*

(De praepositionis collocatione inspicias velim Studemundi Vidulariae paginam 49).

Substantivum *uerba* omissum est:

Cs 648 *in pauca confer:*
Po 1224 *In pauca confer:*
Ps 278 *Atque in pauca, ut occupatus nunc sum, confer*

Perfacilis

duobus locis hac in compositione exstat:

Mn 893 *Perfacile id quidemst.*
Po 423 *Perfacile id quidemst.*

Adverbium *perfacile* apud Plautum semel exstat:

Mo 621 *Perfacile ego ictus perpetior argenteos.*

Perlubens

nonnisi in versus clausula cum verbo *ausculto* coniunctum occurrit:

Ti 780 *ausculto perlubens.*
Ti 1041 *ausculto perlubens,*

Perpes

modo cum substantivo *nox* consociatum Plautus ponit in fine versus:

Am 280 (279) *Neque ego hac nocte longiorem me uidisse censeo*
Nisi itidem unam, uerberatus quam perpendi perpetem:
Am 732 *Ibi cenaui atque ibi quieui in naui noctem perpetem*
Tu 278 *Cumque ea noctem in stramentis pernoctare perpetim,*

Praesens — Praesentarius

Haec duo adiectiva vi ac potestate praedita bar promiscue usurpat Plautus. Exempla sunt:

Cp 258 *Quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia?*
Mn 1159 *Venibunt quiqui licebunt, praesenti pecunia.*
Ps 302 *Iam hercle uel ducentae fieri possunt praesentes minae.*
Po prol. 89 *Praesenti ibi argento*
Mo 361 *a me argentum petito praesentarium.*
Mo 913 *Sex talenta magna argenti pro istis praesentaria,*
Po 705 *aurum poscunt praesentarium.*
Ti 1081 *Vendidit tuos gnatus aedis. Perii. Praesentariis*
Argenti minis numeratis.

Adiectivum *praesentarius* constanter suum locum habere in clausula versus discimus et exemplis, quae antecedunt, et versu:

Po 793 *Id quod mali promittunt, praesentariumst.*

Propitius

sollemniter a Plauto usurpatur de dis:

Am 935 (933, 34) *te, summe Iuppiter, Quaeso Amphitruoni ut semper iratus sies.*
A, propitius sit potius.
Am 1065 *Et tibi et tuis propitius caeli cultor aduenit.*
Am 1090 *Vt scias tibi tuaeque uxori deos esse omnis propitios.*
As 781 *Deam inuocet sibi quam lubebit propitiam,*
As 783 *tu pro illa ores ut sit propitius.* (i. e. deus)
Au 810 *quoi di sint propitii?*
B 452 *Deos propitios*
Cs 331 *propitius sit Iuppiter,*
Cu 531 *Quoii homini dei sunt propitii, lucrum ei profecto obiciunt.*
Cu 557 *Quoi homini di sunt propitii, ei non esse iratos puto.*
Mr 678 *Apollo, quaeso te ut des pacem propitius,*
Mi 701 *Di tibi propitii sunt:*
Pe 470 *Quoi homini di propitii sunt, aliquid obiciunt lucri.*

Si percensemus hos proxime antecedentes versus Au 810 et inprimis Cu 531, 557, non dubitabimus, quin Persae versus 470 hanc in speciem refingendus sit:

Quoi homini di sunt propitii, (ei) aliquid obiciunt lucri.

Pergo ascribere exempla, quae adiectivi *propitius* usui demonstrando inserviunt:

Pe 583 (582) *nam generi lenonio*
Numquam ullus deus tam benignus fuit qui fuerit propitius.

Po 278 *Hanc equidem Venerem uenerabor, me ut amet posthac propitia.*

Po 334 (333) *Vt Venerem propitiem.*
Eho, an iratast? propitia herclest:

Po 454 *Propitiam Venerem facere ut tandem esset mihi.*

Po 1134 *Oratum ierunt deam, ut sibi esset propitia.*

Ti 837 *ni pax propitia foret praesto.*

Vocem *pax* in initio littera maiuscula instruendam intellegendamque esse pacis deam sponte apparet.

Reliqua exempla sunt haec:

Cu 89 (88) *Agite, bibite, festiuae fores,*
Potate, fite mihi uolentes propitiae.

Hoc loco Phaedromus adulescens fores animo fingit deum vel deam, cui vinum libat, ut numen reddat propitium, vino enim conspergit fores (cf. v. 80)

Mr 956 *Tam propitiam reddam, quam quom propitiast Iuno Ioui.*
(i. e. matrem, oppositum est *irata* v. 954)

Po 377 *Iam hercle ego faciam plorantem illum, nisi te facio propitiam;*

Hic Milphio servus alloquitur Adelphasium meretricem quasi deam.

Mn prol. 1 *Salutem primum iam a principio propitiam*

allitterationis *pr pr pr* efficiendae causa is qui prologum composuit adiectivum *propitius* usurpasse mihi videtur de re, id quod in Plauti fabulis frustra quaeramus.

Purus putus

Tu 906 *Oleo opust, farina: purum putum opus est totum diem;*

purum putum opus est a Fr. Schœllio propositum quid sibi velit minime intellego; *purum putum* esse germanice = leibhaftig inter omnes constat:

Ps 989 (988) *O, Polymachaeroplagides Purus putus est ipsus: noui:*

Ps 1200 *Purus putus hic sycophantast.*

Sanus

Ad hoc adiectivum adnectitur a Plauto saepius adiectivum *saluus:*

Am 730 *sana et salua sum.*

Mr 889 *Sanam et saluam.* (i. e. amicam)

Ps 1068 *Minae uiginti sanae et saluae sunt tibi,*

Ps 559 *(sana et salua) sat erit sem(per ciuitas):*

atque inverso adiectivorum ordine:

E 563 *Domi meae eccam saluam et sanam.*

Mr 174 *Quid alia armamenta? Salua et sana sunt.*

Praeterea quae adnotentur digna sunt haec exempla:

Am 720 *Equidem sana sum et deos quaeso, ut salua pariam filium:*
Tu 260 *Aegrotare malim quam esse tua salute sanior!*
Mr 679 *Salutem et sanitatem nostrae familiae,*
E 649 *Salue, frater! Sanan haec est?*

Sospes

Hoc cum adiectivo bis coniunxit Plautus adiectivum *saluus* in versus fine:

Cp 873 (872) *nam filium Tuom modo in portu Philopolemum uiuom saluom et sospitem*
R 631 *Eamque euenturam exagogam Capuam saluam et sospitem*

Tantus

E 134 *Te tantopere mihi mandare et mittere ad me epistulas?*

Pro *tantopere* scribendum esse potius *tanto opere* docent exempla permulta quae invenies in Rassowii indice de Plauti substantivis composito sub substantivo *opus*.

Tristis

Mn 608 (607) *Quid tu mihi Tristis es?*

ad hunc versum Brixium non recte adnotasse: „*mihi* ethiſcher Dativ, nicht von *tristis* abhängig“ apparet ex his exemplis:

As 842 *Scio equidem quam ob rem me, pater, tu tristem credas nunc tibi:*
Cs 230 *Heia, mea Iuno, non decet esse te tam tristem tuo Ioui.*
Cs 282 *Stultitiast ei te esse tristem quoius potestas plus potest.*

tristis enim his locis fungitur fere munere adiectivi *iratus*.

Altkirch, typis E. Massonii.